



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Stephanvs Martyr. 26. Decembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

querit? *Qua avaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanetur?* Aug.

2. Mira est humilitas nascentis Christi, quippe, qui nascatur in stabulo, ex egena Matre, quæ fabro fuerat desponsata. Cùm nihil non sit humile hoc in mysterio, Christiane quomodo potes pasci fumo vanitatis, & honores ambire? Disce, quid amare, & æstimare debeas; ac persuasum sit, veram Christiani gloriam imitatione humilitatis Christi contineri.

3. Hominis causâ eò paupertatis, & humilitatis reductus est Iesus: periit humanum genus, cùm homo voluit fieri Deo similis; redemptum est, cùm Deus factus est homo. Iesus pro sua in nos pietate fit nobis similis, fiamus utique similes Iesu; pateat illi aditus cordis nostri; ubi gratiâ suâ nasci cupit: & cum in corde nostro natus erit, eum nutriamus piis operibus nostris. *Christus in nostris mentibus nascitur, crescit, roboratur.* Paulinus.

S. STEPHANVS Martyr.

26. Decembr.

Stephanus autem plenus gratiâ, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Act. cap. 6.

Primus

Primus pro fide Christiana sanguine suo
 Stephanus subscripsit, ut purpurati in
 celo agminis Antesignanus non immerito
 habeatur Sapiencia Deoque plenus, eoque
 ab Apostolis inter VII. principes Diaconos
 adlectus, mirum est, quam multis magnis-
 que prodigiis sive Christianorum animos e-
 rexerit, sive fregerit dejeceritque Judæorum.
 Et movit ea res bilem indurato ad omnem
 malitiam populo, ut, veluti legem profa-
 nasset, in jus raperent. Sed ille pro Deo &
 se ita dixit, ut ad oculorum verborumque
 fulmina attoniti omnes hærent, jamque
 non in hominem pugnare se, sed Angelum
 crederent. Stephanus hoc acrius victis in-
 stare, tunc præsertim, cum ad spectacu-
 lum celo se effundente, virtutis arbitrum
 ponere dextram Patris stantem Christum ha-
 bere se vidit. Itaque cum urbe exturbatus
 saxis obrueretur, in genua subsidens egre-
 gius triarius fortissime omnia exceptit; Deo
 identidem nunc se, nunc hostes suos com-
 mendans. Et licet horum causa pessima ef-
 fet, tam bono tamen Patrono perorante,
 veniam impetravit Saulus non ita multo
 post Christo conciliandus, & in Paulum mu-
 tandus.

D d

tandus,

tandus. Tam verum jam tunc fuit, Martyrum sanguinem Christianorum semen esse. *Ex Act. Apost.*

M E D I T A T I O.

De morte S. Stephani.

1. **S**tephanus se palam profitetur discipulum Iesu Christi; etenim plenus gratiâ & fortitudine mortem non timet. Generosa fides, & ipsa cœlorum contemplatio omnes omnium dolorum aculeos obtundebant. Si tantulum fidei haberem, si interdum animo contemplarer Iesum, cœlestem mihi coronam præparantem, quid amantissime Iesu quid præter te amarem, aut timerem?

2. Forti & alacri constantiâ excipit lapidum grandinem, imò moriens orat pro persecutoribus suis. Patere in gratiam Iesu Christi, qui exemplum dedit; patere persecutiones & mortem ipsam, si expediat, sed forti, animo; quin etiam Deum ora pro persecutoribus tuis. An scire cupis, cur S. Stephanus tam facile pareat suis carnificibus? Novit eorum beneficio cœlos aperiri. *Nec mirum, se is nescit irasci, per quos videt, aulam regni cœlestis aperiri. Euf.*

3. Acta Apostolorum his verbis exprimunt mortem S. Stephani: *obdormivit in Domino.* Mors ejus fuit

fuit somno similis, utpote, quæ belli finis, & pacis initium fuerit. Moriar, Domine, moriar ut sancti, quorum mors tam pretiosa est in oculis tuis. Vivamus, patiamur, laboremus, ut Iusti & morte Iustorum moriamur. *Moriatur anima mea morte iustorum!*

S. JOANNES EVANGELISTA.

27. Decemb.

Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus. S. Joan. cap. 21.

ECce, Mater Magna, Filius tuus! Ecce quisquis Filius Mariæ es, germanus Virginis Sodalis Ioannes, cui ultimùm cœnans Christus in pulvillum pectus suum, moriens in Matrem Matrem dedit suam, nostram etiam deinceps, si Ioannes sumus. Asiam administravit. Exul patriam tamen cælestem, aliaque quæ scriptis mandavit, arcana vidit. Venenum, quòd cruce temperasset, inno-

Dd 2

xium